

Applicatio Iouis si pertigerit ad locum Martis radice, natus amittet filium eo anno, uel etiam si fuerit Iouis ad Martem malus aspectus.

Saturnus in reuolutione in domo filiorum, in signo in quo fuit in radice, si fuerit tale signum in radice, in quarta domo, & annus peruenerit ad illud signum, significat damnum in patrimonio nati, & filij mortem.

Venus in quinta salua, ad cupidineos conflictus propensioem facit.

Venus cum Cauda ibidem quadrato Saturni fauciata, aliquando Venerem habebit, & Gonorrhoeam forsitan prouocabit, aut uentis profluuium.

VI.

**S**exta domus significat infirmitates, animalia parua, seruos, atq; seruas &c. Pro quibus uide cuspides sextæ, tam radice quam reuolutionis, ac dominos earum in utroq; tempore. Item gradum diuisionis sextæ domus radice, & eius diuisorem in utraq; figura, & commisce illis reliqua, ut supra.

Aphorismi.

**Q**ui in radice natiuitatis habuerit Caudam, & Saturnum in Scorpione, quando directio ascendens ad eos peruenerit, patietur stranguriam, aut fortes corporis dolores.

Pars fortunæ uitæ significatrix, siue Hylech in radice, si in reuolutione aliqua Eclipsis ad eam applicuerit, eo anno natus luminibus orbabitur.

Quando Sol & Luna fuerint significatores uitæ, & si per directionem ad Medium cœli Eclipsis pertingerent, uisus nati debilitatur, aut perdetur. Si autem non fuerint uitæ significatores, & peruenerint per directionem eorum ad medium cœli Eclipsis, significant detrimentum honoris, & substantiæ.

Si stella fixa ex infœlicibus fuerit in reuolutione, in sexta uel octaua, uel si eam in radice habuerit in ascendente, significat quod eo anno grauius patietur natus in corpore, præsertim in capite.

Dominus secundæ domus reuolutionis cum aliqua stella fixa, quam natus in ascendente radice habuerat, significat quod natus eo anno ex squinantia, catharro, aut gutturis passionibus patietur, de quibus stellis dic per cæteras domos secundum ipsarum proprietatem, dando caput ascendenti, & septimæ etiam caput, & octauæ collum, & sic per ordinem de cæteris.

Si in reuolutione Luna, & Mercurius se mutuò non aspexerint, nec eorū alter ascendens, & infortunæ sint angulares. Saturnus in nocte, & Mars in die, & maxime in Cancro, Virgine, uel Piscibus, eo anno natus ex aduersa ualeudine sensum amittet, Et si aliquis eorum fuerit in dictis signis, peius erit.

Luna coniuncta Marti, & Capiti in duodecima radice, si fuerint ambo in quadrato Solis, & Iouis, indicant natum fieri gibbosum post annum eius duodecimum.

Infortunantes stellæ si ad eum locum Lunæ applicuerint, & Luna si ad infortunantes applicuerit, & anni significator sit in malo loco, significat illo anno laboriosam uitam, aut aduersam ualeudinem nato, si fuerit in sexta domo. Idem fieret si Luna applicuerit ad locum radice in quo fuit aliquis infortunantium, idèq; magis si fuerit in prima, sexta, duodecima reuolutionis, præcipue si Luna fuerit in radice infortunata.

Luna in reuolutione in loco in quo fuit Saturnus in radice, significat concubium

LI tum